

Handwritten numbers and characters visible on the right edge of the page, including:  
4  
c  
s  
8  
s  
6  
7  
8





19. 19. 21

---

PROLVSIO ACADEMICA  
IN QVA  
DE  
**MATRIMONIO**  
TVTORIS VEL CVRATORIS  
CVM PVPILLA VEL ADVLTA  
CONTRACTO  
BREVITER DISSERIT

---


AC SIMVL  
AD PRAELECTIONES SVAS  
DIE CRASTINO INCHOANDAS  
LEGITIMAE SCIENTIAE CVLTORES  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA  
HVMANITATEQVE INVITAT

FR. ANDR. GOTTLIEB GNÜGE,  
J. V. D.

---

IENAE,  
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





S. I.

**Q**uemadmodum cupiditatum sitis, uti recte inquit CICERO, a) neque vnquam expleri, nec dari potest, inde non est, cur miremur, cum relatum legimus, Romanos, quorum plerosque affectibus admodum indulsisse, satis est certissimum, turpissima perpetrasse facinora, ut effrenatissimas istas animi motiones alio quantum exsaturarent modo. Et quia auaritia potissimum ac voluptati erant deditissimi, non poterant non aliorum inhiare bonis, sitienterque ea expetere, & eorum quo nanciscerentur possessionem, mille vti fraudibus atque astutiis. Non itaque erubescabant Romæ homines liberi, si pretii participandi causa sese venditari paterentur, sicque, viua postquam voce acclamauerant, se esse ingenuos, emptorem nefarie circumuenirent. Neque pudebat, neque pigebat ciues Romanos infamis hereditarum & captatorum nominis, sed acruatim istorum sese associabant agmini, & PETRONIVS: *Quoscumque, inquit homines in hac urbe vi-*  
*deri-*



deritis, scitote, in duas partes esse divisos, nam aut captantur aut captant. b) Minime quoque dubitabant, eos de medio tollere, quorum successionem sperabant, seu quocitius hereditatem obirent; aut ne testamenta condere; vel iam condita immutare possent. Quid? quod nec parentes & liberi sibi inuicem parcerent, & obstupescamus, dum IUVVENALIS satyram VI. c) legimus. Quibus nunc nequitiis quo obutam irent Romani, variae sunt leges datae, quas iam recensere nec libet, nec licet.

a) in *Parad. I.*

b) *C. 16. vid. P. C. CORNELIVS VAN BYNCKERSHOEC, Opusculis Tom. II. p. 232.*

c) *Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res, Custodite animas, & nulli credite mensa; Livida materno seruent adipata veneno.*

*Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa, Quae peperit, tumidas praeget pocula papas.*

*Nos vitinam vani, Sed clamat Pontia: feci, Confiteor, puerisque meis aconita paravi,*

*Quae deprehensa patent. Facinus tamen ipsa peregi, Tunc duos una, saevissima vipera, mensa*

*Tunc duos? septem, si septem sorte fuissent.*

*Vid. eximius ICRUS ILLUSTR. DN. LEYSERVS in Medit. ad π. Spec. 375. Med. XI.*

§. II.

Quum itaque permulti Quiritium rerum alienarum essent appentissimi, facile est ad credendum, quod tutores quoque & curatores non cessaverint, pupillorum bonis ac pupillarum sese locupletare. Finem autem hunc ut obtinerent pessimum, quasuis excogitabant fraudes, inter quas meritissime referendum, quod pupillas suas, vel sibi vel filiis suis nondum redditus rationibus vxores adiungerent: tali enim modo ab hac

A 2

obliga,





obligatione liberabantur, quippe tunc pupillæ, quas iam vxores vel filias salutabant, ad iudicium reddendarum rationum eos prouocare, minime auebant. Hic nunc dolus quo coerceretur, matrimonia pupillas inter ac tutores, nec non inter adultas & curatores eorumque filios prorsus prohibebantur, vsque dum rationes reddiderant, vel intra quod minorenes restitutionem in integrum petere queunt, tempus præterlapsum, idque per orationem d) diui MARCI & COMMODI. e)

d) hoc ex inscriptione *L. 60. π de Ritu Nuptiarum* apparet. Dicitur quoque in *L. 59. ibid.* Scto id esse introductum, hanc nimirum ob causam, quoniam res ad Senatium erat relata, & ab isto approbata. Videatur GERHARDVS NOODTIVS in *Commentario ad π. ad tit. de Ritu Nuptiarum p. 382. & V. C. IO. FLORENS RIVINVS in Exercitationibus ad MODESTINI casus enucleatos pag. 25.*

e) Emendandam itaque esse inscriptionem *L. 20. π de Ritu Nuptiarum*, vbi dicitur: PAVLVVS libro singulari ad orationem Diui SEVERI & COMMODI, & legendum esse: ad orationem diui MARCI & COMMODI, quippe ad quam PAVLVVS librum scripsit singularem, monuit ANTONIVS SCHVLTINGIVS in *Nor. ad IVLIVM PAVLVVM p. 303. not. 33.* Neutiquam etiam obstat, quod TRYPHONIVS in *L. 67. §. 3. cit. tit.* Diui tantum MARCI faciã mentionem, id enim interdum factum, docet laudatus NOODTIVS *loc. cit.* ibique tanquam exemplum profert *L. 23. de Donationibus inter Virum & vxorem*, in qua PAPINIANVS, quæ est SEVERI & ANTONINI, orationem vocat SEVERI.

### §. III.

Rationem huius prohibitionis quod attinet, eam suppeditat CALLISTRATVS in *L. 64. §. 1. de Ritu Nuptiarum: ne scilicet, inquit, pupille in re familiari circumscribantur, ab his qui rationes eis gesta tutela reddere compellun-*



pelluntur. Et quamuis PAPIANVS in *L. 63. d. r.* aliam afferat, TRYPHONINVS tm. in *L. 67. §. 3. ibid.* hanc, quam ex CALLISTRATO adduxi, Diui MARCI oratione contineri, diserte dicit. Interim PAPIANIANI quoque ratio non est reiicienda, siquidem duæ possunt vnius rei esse causæ. f)

f) Compara SCHVLTINGIVM *loc. cit.*

§. IV.

Frustra a me expectabis L. B. prolixam, quæ de interdicto hoc matrimonio loquuntur, legum explicationem, id enim instituti mei ratio non permitteret. Breuiter itaque saltem tibi dicam legum, quæ huc spectant, præcipuarum summam. Has enim simul esse inspiciendas, si quis, iure in Romano quid hac de re cautum, scire cupiat, est certissimum.

§. V.

Leges autem, quæ huc spectant, sunt hæ: *L. 15. de sponsalibus L. 36. 59. 60. 62. 64. 66. 67. de Ritu Nuptiarum*, quæque *tit. Cod. de Interdicto Matrimonio inter tutorem & pupillam* continentur. Has cum euoluamus, obseruabimus (1) prohibita fuisse sponsalia pariter ac matrimonia pupillas inter earumque tutores & curatores, quamdiu reddendis rationibus fuerunt obnoxii, idque sub pœna infamiæ. g) (2) Hoc quoque pertinuisse ad istorum filios, tam primi, quam vterioris gradus, h) tam naturales, quam adoptiuos. i) (3) Nihil interfuisse, vtrum filii heredes patris existerint, an paterna hereditate abstinerint; vtrum exhereditati, an præteriti; emancipati, siue adhuc in patria potestate constituti; k) pater adhuc viuus an vero mortuus;



tuus; l) pupilla vtrum virgo, an iam mater ex alio matrimonio facta. m)

g) *L. 15. de Sponsalibus L. 66. pr. de Ritu Nupt. L. 6.7. C. de Interd. Matrim. inter pupillam & tutorem.*

h) *L. 59. de Ritu Nuptiarum.*

i) *L. 60. §. 6. ibid.*

k) *L. 67. pr. ibid.* Ratio in eo consistit, quia Romani suspicabantur, præteritiones, exheredationes & emancipationes hoc in casu ex fraude esse factas, patremque nihilominus filiis bona quædam relicturum, v. c. per legatum, fideicommissum, donationem, quæ tamen omnia iure tacitæ hypothecæ reuocari poterant. Conferatur IACOBUS CUIACIUS in *Observationibus & Emendationibus Libr. XIII. Cap. XXIV.* Obseruandum quoque est, hanc legem saltem attingere filios naturales, adoptiuos non æque, & licet PAVLVS in *L. 60. §. 6. π. de Ritu Nuptiarum* filii tantum adoptiui emancipati faciat mentionem, cuius nimirum matrimonium cum patris adoptiui pupilla contractum subsistere possit, de præteritis autem id non moneat, de his tamen idem quoque esse dicendum, eandem puto ob rationem.

l) *L. 67. cit.*

m) *L. 62. §. 2. ibid.*

#### §. VI.

Deinde citatæ leges nos docebunt, Romanos extraneis quoque tutorum & curatorum heredibus eiusmodi connubiis interdixisse, n) quippe defunctum præsentant, consequenter tutelæ a defuncto gestæ rationem reddere sunt obstructi. o)

n) *L. 64. §. 1. de Ritu Nuptiarum.*

o) vid. Celeb. IO. FLORENS RIVINVS *ad Modestini Casus Enucleatos. p. 27.*

#### §. VII.

Item ex & iisdem apparebit, hanc prohibitionem



nem non eos solum in se complecti, qui re ipsa tutelam gerunt, sed & ad quos eius periculum spectat. p) Ex quo iterum fluit, cur q) neque iis, qui falsis allegationibus a tutela se excusarunt, neque β) qui in tutelæ administratione cessarunt, neque γ) qui honoris tantum causa dati, pupillas in matrimonium ducere licuerit. q)

p) *L. 60. pr. de Ritu Nuptiarum.* Excipiuntur tamen in §. 1. fidei-  
inssores ac magistratus. GERHARD. NOODT, in *Commentario ad π.*  
*ad tit. de Ritu Nuptiarum p. 383.*

q) *L. cit. pr. §. 2. 3.*

§. VIII.

Porro exinde videbimus, hæc matrimonia fuisse ipso iure nulla, r) hinc consequens est, vt eiusmodi personæ coniugum nominibus non gauisæ, vt que liberi ex tali coniunctione nati, nec pro legitimis habiti, nec istorum iura adepti. s)

r) *L. 66. de Ritu Nuptiarum L. 6. C. de Interd. Matr. inter pupillam & tutorem.*

s) *L. 6. cit.*

§. IX.

Denique quoque ex hisce cognosci potest, hanc prohibitionem eiusque pœnam aliquando cessasse, & quidem α) si rationes redditæ, tempusque restitutionis in integrum præterlapsum: β) si a pupillæ patre pupilla tutori sponsa destinata fuerit: t) γ) si auus gesserit tutelam neptis ex filio emancipato natæ, & eam collocet nepoti ex altero, siue emancipato; siue in patris potestate manente filio: u) δ) si nondum redditis rationibus pupilla vel adula decesserit, & filiam heredem reliquerit: x) ε) si matrimonium principis permissu celebratum. y)

t) *L. 36. pr. de Ritu Nuptiarum.*

u) *L. 67. §. 1. d. t.*

x) *L. 67.*



x) L. 67. §. 5. *ibid.* Conf. GERHARDVM NOODTIVM in *Commentario ad π. ad tit. de Ritu Nuptiarum. p. 383.*

y) L. 7. C. de *Interdicto Matrimonio inter pupillam & tutorem.*

§. X.

Deseramus nunc Romanorum iura, Germanosque apud an hæc prohibitio obtinuerit? breuiter videamus, Antiquissimis temporibus TACITI nimirum ætate illi locum haud relictum, quilibet fatebitur, qui hospes non versatur in patria. Nam tunc temporis Germani erant sine fuce & fallaciis, z) nec alter alterius rerum appetebat, a) multo minus tutores pupillos ac pupillas fraudare studebant, speciatim, cum harum personarum suppellex curta esset quam maxime: plerumque enim nulla a parentibus relinquebantur bona, præter arma & pecora quadam, vt igitur vix quidquam superesset, cuius curam tutores gererent. b) Sero etiam fœminæ viris nubebant, c) & tunc fortassis demum, quando non amplius essent sub eiusmodi tutela. Ex quibus omnibus sequitur, vt verustissimi Germaniæ incolæ causas huius prohibitionis procul habuerint.

z) Mirifice eorum laudat fidem TACITVS *Annal. XIII. 54.* Nulli, inquit, *mortalium armis & fide ante Germanos sunt.* Et ideo quoque ab Imperatoribus Romanis ad custodiam corporis delecti, vti ex SVETONIO atque CAPITOLINO discimus.

a) Perplacent mihi verba III. DN. IO. ADAMI KOPPII in *tr. de Testamentis Germanorum §. 2.* Ex utroque autem, ibi inquit, apparet, nullam Germanis fuisse pecunie, nullam acquirendarum opum cupiditatem, adeoque ob equalitatem possessionum, nullos apud ipsos diuites, nullos pauperes, neminem abundasse, neminem defectum sensisse, sed omnes atque singulos paucis, quia paucis Germanorum id temporis vita generi opus erat.

b) Vid. IOH. CHRISTOPH. CLEFFELIVS in *Antiquitatibus Germanorum Cap. III. §. VI.*

c) TACITVS de *Mor. Germanor. Cap. XX. Serna Iuuenum Venus, eoque inexhausta pupertas: nec Virgines festinantur: eadem iuuenta similis proceritas, pares validique miscentur, ac robora parentum liberi ferunt.*

§. XI.



## §. XI.

Insequentia quod attinet tempora, negari quidem nequit, Germanos, eos saltim, qui sibi in Romanorum Provincis novas sedes quaesuerant, paululum deflexisse a verusta ista sinceritate, proindeque & tutores interdum in officio claudicasse, ac notabile occurrit exemplum in LEG. WISEGOTH. *Libr. IV. Tit. III. §. IV.* ex editione DN. PETRI GEORGISCH, vbi dicitur: *Quia vero quidam tutores aut persuasione, aut indignatione circumueniunt eos, quos tueri gratissime debuerunt, & de rebus reddenda rationis securitates accipiunt, vel certe diuersarum obligationum scripturas, ab illis exigendas insistant; quo extinctis vocibus eorum, quae illis competunt, nunquam inquirere vel recipere permittantur &c.* Veruntamen nullam inuenies legem, ex qua coniici solummodo possit, Germanos ea aetate tutoribus eiusmodi nuptiis interdixisse.

## §. XII.

Nec apud posteros, antequam Ius Romanum receptum, haec matrimonia fuisse prohibita, deprehendes. Et Procul dubio quoque non fuerit, cur ista vetarent, quum non ea esset tutorum Germanicorum malitia, vt idcirco pupillarum nuptias adfectassent, quo bonis eas fraudarent, saltim perraro id est factum. Vix etiam insigne aliquod damnum pupillae exinde capere poterant, vti apud Romanos, siquidem tutores quotannis rationes reddere debebant, d) cum contra apud Quirites finita demum tutela id fieret. e) Quin, in tutela legitima ratio prohibendi cessabat ferme omnis, quippe eiusmodi tutores pupillorum ac pupillarum bonis fruebantur, eoque nullas reddebant rationes. f) Quod autem ab his connubiis non abstinerint, illustri exemplo probari potest e diplomate quodam apud Illustr. IO. PETRVM de LVDEWIG. g)

B

d) IVS



d) IUS SAXONICVM PROVINCIALE *Libr. I. Art. XXIII.*

e) *L. 9. §. 4. de Tut. & Rat. Distr.*

f) Conf. ILL. DN. IO. GOTTLIEB HEINECCIUS in *Elementis Iuris Germanici To. I. Libr. I. §. CCCLXXV.* & IXCCELL. DN. IO. RVDOLPH. ENGV in *Elementis Iuris Germanici Libr. I. Tit. XXIV. §. CCGXCIX.*

g) In *Reliquiis MSSC. T. X. p. 190.* Wir Karl von Gottes Gnaden Romischer Keyser -- ihuu kunt offentluchen mit diesen Brieff. Wann wir den Hochgebohrnen Przimlau Hertzogen von Teschim vnsern lieben Fürsten der dreyer Kinder Hertzog Boliken von der Cosil stigen Tochter Elfsken, Ofken und Bolkam mit yr gemeinen Frunden Rat zu FVRMUNDEN geben vnd gesatz haben, vnd er die Elter Elfsken mit namen ZV EINER EHlichen KVNFTIGEN WYRTINNE GENOMMEN HAT. Vid. Illustr. DN. IO. GOTT. HEINECC. *lib. cit. Tom. I. Libr. I. §. CCCLXXVI.*

§. XIII.

Ex his nunc satis apparere puto, eiusmodi matrimonia Germanos apud fuisse permiffa. Postea vero quam maiores nostri Quiritium placita in vsum vocare non dubitarunt, Icti inter se maxime contenderunt, an nimirum Ius Romanum hac quoque in parte esset receptum? Alii hoc affirmarunt; alii hoc negarunt. Ab utraque parte stant viri doctrina atque fama celeberrimi, & auctoritatibus si disputare velimus, nunquam decidi hæc dubitatio potest.

§. XIV.

Ad me quod attinet, eiusmodi connubia apud nos esse valida, existimo, nisi per speciales leges sint prohibita vel tamen, Ius Romanum quoad hancrem esse receptum, quis demonstret. Quum enim non solum Iure Canonico, quod tamen in causis matrimonialibus potissimum sequimur, sint permiffa h) sed & hæc Romanorum dispositio veteribus Germanorum moribus repugnet (§. XII), hanc probationem me omnino petere posse, persuasum habeo.

h) Quamuis



h) Quamvis ex *c. cum locum 14. de spons.* id probari minime possit, vii Dd. sibi persuadent. vid. SCHULTER in *Different. Iur. Civil. & Canon. p. 501.*) harum tamen nuptiarum prohibitio nullo ex Canone apparet.

§. XV.

At, inquis, hoc Iuris Romani placitum est tamen æquum, laudemque supergreditur omnem, cur, istud non esse receptum, statuere velimus? Verum enim vero notes quæso, nos hic loqui de ipsa obseruantia, non verò de istius æquitate eiusque vsu in potentia. Quod enim princeps Ius civile approbare, i) proinde hæc matrimonia prohibere, contracta nulla pronunciare, tutoribusque, qui id facere conati sunt, pœnas irrogare possit, id me quoque non monente nemini potest esse ignotum, nullusque negabit.

i) Vti factum est in Ducatu Magdeburgico & Wurtembergico testante STRYCKIO in *Vsu Mod. Pandect. tit. de Rit. Nupt. §. 10.*

§. XVI.

Deinceps inde, si quoque receptionem Iuris Romani probaueris, vsum tamen esse exiguum, fatearis, quum nuptiæ, quæ coniunctione carnali consummatae, vel ad quas *λεπολογία* accessit, si vel maxime iure humano prohibita, vix tandem rescindantur. k)

k) Vid. THOMASIVS in *Not. ad Institut. p. 45. 46.* ILL. HEINECCIUS in *Elementis Iuris Civilis Libr. I. §. CLXIV.*

§. XVII.

Ipsi quoque dissentientes a Iure Romano maxime deflectunt, cum, tutorem, redditis rationibus, pupillam suam in matrimonium ducere posse, statuunt, licet tempus restitutioni in integrum destinatum nondum sit præterlapsum, id quod manifesto repugnat *L. 66. de Ritu Nuptiarum.* Nec aliquam huius assertionis redere queunt rationem, sed quos euolui omnes prouocant



cant ad CARPZOVIUM, l) quem tamen maxime falli, quod, id Iuri Ciuili non refragari, existimet, iam alii annotarunt, legeque ex allegata sufficienter elucet.

l) p. 4. C. 21. d. 17.

m) Vid. V. C. IO. FLORENS RIVINVS in *Exercitationibus ad Modestini Casus enucleatos* p. 32.

§. XVIII.

Plura addere possem hoc de matrimonio, sed clausulam huic labori iam impono, indicaturus, quod per hoc semestre.

H. IX-X. Ill. HEINECCII *Elementa Iuris Ciuilis* interpretari,

II-III. STRVVII *Iurisprudentiam R. G. forensam* explicare,

IV-V. *Principia Processus Militaris* præeunte Cel. KNORRIO tradere, mihi sit constitutum.

Quibus Prælectionibus, quam, Deo volente, die crastino facturus sum initium, frequentes interesse velitis, vos, GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI COMILITONES, amici suauissimi, ea quæ par est obseruantia rogatos volo. Scribebam  
Ienæ d. XII. Octobr. MDCCXXXVIII.



00 A 6379  
VD 18

ULB Halle

3


002 916 568




VD 17











19. 21

---

PROLVSIO ACADEMICA  
IN QVA  
DE  
**MATRIMONIO**  
TVTORIS VEL CVRATORIS  
CVM PVPILLA VEL ADVLTA  
CONTRACTO  
BREVITER DISSERIT

---

AC SIMVL  
AD PRAELECTIONES SVAS  
DIE CRASTINO INCHOANDAS  
LEGITIMAE SCIENTIAE CVLTORES  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA  
HVMANITATEQVE INVITAT  
FR. ANDR. GOTTLIEB GNÜGE,  
J. V. D.

---

IENAE,  
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.